

Ipsius ex quo noticiam capiamus, & unam
Discamus quæ nos ducit ad astra uiam:
Haud quisquam præstat miseris mortalibus ullum
Officium maius nobiliusue bonum.
Israelis quam si sacra dogmata fontibus hausta,
Cœtibus enarret uoce styloq; pijs,
Et quæ concurrunt pugnantia plurima monstret;
Errorum crescat ne scelerata lues:
Sed nemo justis præstat rationibus illa,
Errorum vel tot sternere monstra potest.
Cui non egregias didicisse fideliter artes
Sanctas aut linguas unica cura fuit:
Et qui non alios audiuerit ante docentes
Ex studijs, usu, iudicioq; graues,
Quos crebro uideas compescere falsa sonantes,
Et rapidos fida pellere uoce lupos.
Doctores igitur florens Academia tales
E grege discentum suppeditare potest.
Hinc aluo ueluti fœtus matrisq; canali
Vitam percipiens lac trahit inde suum:
Sancta DEI sic nos Ecclesia nutrit in aluo
Dulcius insertos & sibi lacte fouet,
Cum per Doctores, his usa canalibus, in nos
Transfundit lactis munera uiuifici,
Cœlestis uerbi quoties alimenta ministrat,
Cordibus & mæstis plurima læta refert.
Quin etiam fœtus matris ceu natus in aluo,
Diuina pariter non nisi uiuit ope:
Non aliquod nasci uel sic florere Lyceum
Est certum præsto nisi sit & ipse DEVS,
Auspicio cuius surgant felicia cœpta
Succedant simili semper & auspicio.

Hinc